



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute  
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione  
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in  
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1626**

XXIV. Ad quas personas absoluendas extendatur dicta potestas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

terit ab illo confessore, cui Capitulum suas vices commiserit.

VIII. Quod si Capitulum ipsum nihil circa hoc obligaverit, eo ipso poterit Generalis eligere confessorem cum omni potestate, quam privilegia concedunt: quia non superest alius modus, quo possit ipse Generalis passim frui huiusmodi privilegiis, quibus privari non debet. Estque ille modus contententis iuri communi in cap. vlt. de Penitent. & remiss. Quin potius in multis religionibus observari intelligo, ut etiam Provinciales, & Conventuales Prælati eodem modo sibi eligant confessores cum omnibus facultatibus, quas ipsi possunt suis subditis communicare. Quod fieri potest, vel quia in ipsa religione ita specialiter, & positivè (ut sic dicam) ordinatum est, quod sine dubio fieri potest, vel etiam consuetudine recipi, aut certè quia contrarium ordinatum non est; quod censetur etiam sufficiens. Quia ex privilegio dicti capituli de penitent. & remiss. hi Prælati possunt sibi eligere confessorem *præter licentiam suorum Superiorum*, ut dixi in 4. tom. disput. 27. sect. 2. dub. 5. & nunc in confirmationem eorum, quæ ibi dixi, expendo illam particulam, *præter iurum Superiorum licentiam*: non enim dicitur, contra eorum ordinationem, aut voluntatem, sed solum præter id est, absque eorum licentia, & quando illi non provident alio modo de ordinario confessore; qui est casus, de quo loquimur. Deinde confessor si electus, eo ipso habet circa talem Prælatum omnes facultates Potestatis, siue hoc sit, quia ab ipso met communicatur, sicut Papa eligendo confessorem dat illi iurisdictionem in seipsum, siue (quod verius existimo) quia virtute privilegiorum immediatè ei conferuntur, eo quod vices gerit superioris Prælati in eo munere.

IX. Hic verò occurrere potest casus, in quo in religioso conventu tantum sint Prælatus, & alius sacerdos, & ambos incurrisse in censuram reservatam Pontifici: ut v. g. per mutuum rixam in censuram canonis *si quis suadente*. quomodo possint absolvi; quia tunc nec Prælatus potest absolvere subditum, cum ipse sit excommunicatus, neque etiam potest illum eligere in confessorem, quia similiter ligatus est: quid ergo in eo articulo facient? Quiddam ut Emmanuel Rodriguez tom. i. quæst. 20. ar. 12. citans Ioannem Fabianum verb. *Absolutio*. 2. §. 6. & alij respondent, ob necessitatem posse tunc mutuo absolvi: quia necessitas caret lege. Item, quia excommunicatus potest in casu necessitatis absolvi a peccatis: ergo & a censuris. Quod si in praxi sequenda esset hæc sententia, deberet Prælatus prius absolvi subditum, & iam ille absolutus, esset idoneus minister ad absolvendum Prælatum.

X. Indiget tamen, ut opinor, illa sententia magna declaratione, & limitatione. Et in primis, si neuter illorum est nominatim excommunicatus, vel si censura fuit canonis *si quis suadente*. & delictum est occultum, videtur Prælatus posse absolvi subditum, quia nondum est omnino privatus iurisdictione, & communicatione cum illo saltem in bonum subditi. Dices, hoc haberet locum, si subditus non esset etiam excommunicatus; quia verò excommunicatus supponitur, non videtur posse vel favore Extrauag. *Ad eundem*. Respondeo, etiam licet subditus excommunicatus sit, Prælatus non est iurisdictione privatus in suos subditos, quantum est ex se: licet autem talis subditus excommunicationem, quia illa communicatio cum sit ordinata ad bonum animæ, & ad se liberandum a censura, non est prohibita ex vi sue excommunicationis, neque etiam propter Prælati excommunicationem prohibetur ratione Extrauag. *Ad eundem*, & Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

ideo in eo casu non dubito, quin, servato hoc ordine, licitè petatur, & detur absolutio.

Vrgendo tamen casum, ita ut delictum sit publicum, cessat hoc remedium, & tunc non censetur statim esse dandam licentiam Prælato absolvendi subditum, vel è contra, cum hoc sit contra rationem factam, & contra iura, argument. cap. *audui*. in alio casu. 2. 4. quæst. 1. & cap. *prudens*. §. 6. de offic. deleg. & cap. *duobus*. de sentent. excommunicat. per argumentum à contrario; ibi enim dicitur, duos habentes facultatem sese inuicem absolvendi, si ambo in excommunicationem minorem incidant, non privari dicta potestate, nec usu eius, ut rectè glossa exponit: quia excommunicatio minor privatur receptione Sacramentorum, non usu iurisdictionis: ergo de excommunicatione maiori contrarium tacitè exponit, quia hæc privatur usu iurisdictionis: & ita sentiunt ibi glossa, & Doctores. Quapropter in eo casu Prælatus extra religionem debet eligere alium sacerdotem habilem, ut ab eo absolviatur, & postea ipse absolutus poterit absolvi subditum. Dico autem, Prælatum debere hoc facere, quia subditus non habet hanc facultatem, neque ipse Prælatus dum excommunicatus est, potest illam concedere, ut alibi dixi.

Dices, ergo nec ipse potest eligere sibi confessorem. Respondetur, negando consequentiam: quia dare licentiam subdito, ut eligat confessorem, est actus iurisdictionis, cuius usu privatus est excommunicatus; eligere autem confessorem non est usus iurisdictionis, sed cuiusdam privilegii, quo non privatur excommunicatus. Dices, cum Prælatus eligat confessorem, committit illi iurisdictionem suam, ut illa circa se utatur, ille autem videtur esse actus iurisdictionis. Respondeo, non ipse committit, sed Pontifex, vel superior Prælatus virtute privilegiorum, ut supra in fine numero 8. dictum est. Sed instabit aliquis, fingendo casum, in quo non sit copia alterius sacerdotis secularis, vel alterius religionis, qui eligi possit. Respondeo, in eo casu ita se habere quemlibet illorum ac si esset solus, & non haberet copiam confessoris, extra casum articuli mortis, quia excommunicatus vitandus extra hunc articulum non habet usum iurisdictionis; in illo autem articulo possunt se inuicem absolvi a peccatis, & ratione illorum etiam à censuris, ut in 4. tomo generaliter dictum est.

## CAPUT XXIV.

Ad quas personas absolvendas extendantur hæc privilegia.

Hoc est tertium punctum superius in fine capituli 20. propositum. In quo in primis certum est, talia privilegia posse habere effectum circa omnes professos talis religionis, quia pro illis maxime conceduntur hæc privilegia. Quia verò privilegia hæc concedi solent sub his verbis, ut Prælati possint absolvi subditos suos, oriebatur dubium de ipsis Prælatis. Sed hoc iam expeditum est in fine capituli proxime præcedentis, nam illi etiam sunt subditi vel superioribus Prælatis, vel saltem ipsi religioni. Oriebatur deinde dubium speciale de scholaribus, & Coadiutoribus Societatis, qui non sunt professi. Sed nullam habet rationem dubitandi, quia sunt veri religiosi, & regulares, sub quibus vocibus solent hæc privilegia concedi: tum etiam, quia eorum incorporatio, & vota sub nomine professionis comprehenduntur, præsertim in favorabilibus, ut infra tractatu 10. libr. 3. cap. 5. ostendam. Tum denique, quia Pius V. & alij Pontifices expressè illis communicant hæc privilegia.

II.  
2. *Affertio*  
*pro peregrina-*  
*nā.*  
*In lib. Mo-*  
*num. Ordi-*  
*num. concess.*  
318. & 319.  
*fic.*

Secundò dicendum est, hanc facultatem extendi non tantum ad proprios religiosos subditos, sed etiam ad hospites, seu peregrinos, qui iure hospitalitatis possunt ab eis sacramentaliter absolui. Probatur primò ex ipsius privilegiis : hæpene enim expresse nominant hospites, nam Clemens IV. in privilegio citato inquit, *Nec non fratribus aliis eiusdem ordinis inseruium ad eisdem manibus vnde cunque*. Alia verò priuilegia illius definitè loquuntur de suis monachis, aut religiosis, vnde conuenienter intelliguntur de illis, qui ab vnoquoque Prelato sacramentaliter absolui possunt, quia hæc priuilegia, vt dicemus, ad forum conscientie præcipuè ordinantur. Et licet aliqua priuilegia loquantur de subditis, refertur etiam exponuntur de subditis in foro conscientie secundum præsentem statum. Secundò probatur ex quadam declaratione Cardinalium ad cap. *de cas. test. 2. 4.* Concilij Tridentini, quæ habet, forenses dum versantur in aliquo Episcopatu, posse absolui à casibus occultis ab Episcopo loci per facultatem ibi concessam: ergo inuoluerit religiosus hospes absolui poterit per facultates religionis à Prelato illius loci, in quo tanquam hospes degit, ibi enim se habet tanquam forensis, & militat in eodem ratio.

III.  
Peregrinus  
absolutio,  
non dispen-  
satio danda

Est autem notanda differentia, quæ ibi assignatur, inter dispensationem, & absolutionem: nam de dispensatione dicitur, non posse dari homini forensi ab Episcopo loci per illam facultatem Concilii, sed petendam esse à proprio Episcopo; absolutio autem dicitur posse dari ab Episcopo loci. Et ratio infinuatur, quia absolutio solum conceditur in ordine ad forum sacramentale, & ideo sicut sacramentum Penitentia ministrandum est in præsentia penitentis, ita & hæc absolutio per se loquendo danda est ab Episcopo præsentè; ideoque Episcopo loci commissa censetur; dispensatio autem postulari potest ab Episcopo absente, & ideo semper referatur proprio Prælato, & Episcopo. Quamquam doctrinam in proposito etiam observandum erit, quia in multis eorum & dispensandi, & absolventi facultas committitur, absolutioem semper extendi ad hospites, non verò dispensationem, nisi in ipso privilegio expresse contineatur, ut est in dicto privilegio Clementis IV. nam immediate post citata verba subdit, *Absolutionem, vel dispensationem indigentibus*. Secus autem expressa concessione, est illa doctrina valde probabilis, tum propter auctoritatem Congregationis, eiusque rationem: tum etiam, quia absolutio à censura conceditur hospitibus, quia est necessaria ad absolutionem à culpa, quæ differenda non est, *ne propter dilationem penitentia, periculum imminuat eternum*, ut dicitur in cap. vi. de penit. & remiss. dispensatio autem non est necessaria ad ministerium penitentia, nec ad salutem animæ, unde differri potest, & reditus ad Prælatum expectari, vel ab absente postulari.

IV.  
Locus ex de-  
claratione  
Carain. dif-  
ficilis.

Vnum verò aliud infinuatur in illa doctrina, quod, si verum est, satis singulare est, scilicet, per facultatem absolventi ad censurâ, concessam tantum in foro penitentia; (qualis est illa Concilij Tridentini) non posse absolventem etiam à censura dari absentem, quia debet dari in sacramento Penitentia; unde ibi expressè exponitur, Concilium loqui de absolutione sacramentali. Sed hoc receptum non est, quia videtur nimia restrictio privilegij, & facultatis sine cogente ratione. Unde multi putant, posse Episcopum ex vi Concilij per seipsum absolvere à censura hæresis occultæ moniales, vel aliam impeditam personam absentem, quia nec facultatem potest delegare, vt Concilium indicat, quanvis Corduba in Summ. Hispan. quæ-

sione 8. et alij aliter exponant; nec cogendus est Episcopus ad poenitentem impedire accedere, vel illum absolui, nam data absolutione a censura, tollitur reservatio culpæ, et ita poterit a quocunque legitimo confessore absolui. Sed quid in hoc sentiendum sit pro re, de qua agimus, inferius explicabimus. vide interim Nauarrum consil. 15. de fentent. excommunicat. iuxta primam impressionem. Emmanuel Rodriguez tom. 1. quest. 30. articulo 11. in fine. Gutierrez in Practicis questio. cap. 11. num. 28.

Dico tertio: Hæc potestas absolendi extenditur etiam ad nouitios, qui virtute dictorum priuilegiorum possunt absolui. ita habetur expressè in multis priuilegijs citatis, in quibus etiam explicatur, vt possint absolui ab omnibus peccatis ante, vel post ingressum commissis, & ab omnibus Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & poenis à iure, vel ab homine latis, vt referunt ex priuilegio Sixti IV. in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*. S. c. ex monumentis Minorum, & idem habetur in citato priuilegio Clementis IV. & in alijs. Est autem aduertendum, in eis non tantum concedi hanc facultatem pro nouitijs, qui iam habitum susceperunt, sed etiam pro his, qui ingredi volunt: quod etiam Paulus III. concessit Societati in Bulla vltima, qui addit limitationem, quæ est hæc: *in demum verbis in antiquis priuilegijs continentur, scilicet, Volentes ingredi Societatem, seu religionem, si prius ingrediuntur, eo ipso in pristinis sententijs, & a quibus soluti fuerint, remittuntur, etiam si prius et hoc inducit ex apostolica religione concedantur*. Aliqui verò exponunt, vt qui vult ingredi pro professione, possit ante illam absolui, non verò ante ingressum pro susceptione habitus ad nouitium. Indicat Viualdus i. part. Summæ, tit. de Absolutione. num. 22. Sed prior expositio verior est, nam in priuilegio prius dicto, *Volentes ingredi, &c.* & postea, *Ac eos, qui post assumptum habitum, vel professionem ipsam reuoluerint, &c.* Extra tenet D. Antoninus referens idem priuilegium; part. rit. 2.4. in vltimis verbis. Et in Bulla Societatis videntur constare sermonem esse de his, qui volunt ingredi priusquam recipiantur. Vnde hæc absolutio videtur concessa quasi præparatio ad ipsum ingressum, seu receptionem habitus. Ex prædicta verò limitatione constat, si quis possit ingredi sine animo ingrediendi, solum vt absoluator, absolutionem esse nullam: imò nisi habeat animum ingrediendi, & profecturi, saltem bona fide ingrediendo ad probandum cum animo profecturi, si iusta causa ad illum mutandum non occurrat. Vnde in illo priuilegio Societatis expressè dicit Paulus III. *Remittuntur in pristinis sententijs, nisi maxime ingredi, & operaculis experientiam secundum Constitutiones Societatis vota emittere parati sint*: ergo qui non habet hunc animum, & bonam fidem, non consequitur absolutionem. Et idem est proportionaliter in alijs religionibus, nam eadem verba in priuilegijs Mendicantium habentur.

Sed quid, il quis sic absolutus bona dei percipi  
habitu religionis cum animo profecti, potest quidem  
non proficere utique culpa sua, quia vel a reli-  
gione eijctur, vel ex iusta causa egreditur, non  
quod reincident in priores censuras? Commun-  
ter auctores affirmatiue respondent, & non alie-  
runt aliud privilegium, nisi vel Clementis V. &  
Pauli III. Sed ex illis obscure colligitur, nam Cle-  
mens solum ait, *Ni jmoz ordinem intrarent*, & Pau-  
lus fere similia habet verba. Qui intelligenda ve-  
duntur de primo ingressu ad nouitatum, nam de  
illo erat sermo suprà, ubi dicitur, *Voluit ingredi*, &  
non *reingredi*, quod si de reingressu esset bonæ di-  
tinenæ: ergo qui semel ingressus est bonæ di-  
tinenæ profecti secundum ius, iam impleant con-

ditionem requisitam: ergo licet postea egrediatur, præsertim licet, non reincident: nulla est enim ratio extendendi illud verbum, *Nisi ut avertit*, ad introitum per professionem, quia talis expositio nec confirmat superioribus verbis, nec rigor ipsius verbi ad illam cogit, cum de se sit indifferens; nec privilegium coarctandum est, sed extendendum. Præsertim cum sit valde consentaneum rationi, ut qui absolutus fuit in ordine ad insignem actum ingrediendi religionem, & illum bona fide explevit, non priuatur postea illo beneficio, & quod facultate sibi à iure concessa legitimè utatur, dimittit religionem. Et confirmatur, nam ille esset quidam modus cogendi nouitium ad profitendum, saltem timore reincidenti in censuras, quam coactionem iura valde abhorrent, præsertim Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. c. 15. & sequentibus. Quapropter probabile reputo, hanc absolutionem datam nouitio, qui bona fide in religione versatur cum animo profitendi, non esse ad reincidentiam, sed omnino absolutam, ac permanentem, datam verò ei, qui vult ingredi antequam nouitius sit, esse ad reincidentiam, si cum effectu non ingrediatur, aut ingressus nimium differatur: si autem cum effectu ingrediatur, omnino firmetur absolutio, ita ut licet casu postea non profiteatur, non reincident. Hæc omnia videntur satis probari coniecturis adductis, & maxime paretur si attentè legatur Pauli III. indultum. Prius enim concedit facultatem absolucndi omnes & singulos Societatis locos, & personas sub eorum obedientia, disciplina, & correctione pro repute de gentes. Sub quibus verbis clarum est nouitios comprehendendi, & de horum absolucione nulla conditio ponitur: postea verò solum ponitur conditio circa eos, qui ingredi volunt, & eo titulo absolucuntur, prius nimium quam ad aliquid recipiantur.

cedentem distributionem, ab omnibus: ergo, ut aliquid addat, necessarium videtur ut extendat facultatem ad casus Cœnæ. Quæ ponderatio esset efficax apud me si præcessisset particula, *ab omnibus referuata*; nunc verò non ita est, sed dicitur, *ab omnibus qualitercunque enormibus*, & ideo dici potest in sola distributione *ab omnibus*, non includi referuata; per aliam verò particulam extendi ad referuata tantum generaliter, & ideo non oportere ut extendantur verba ad casus Cœnæ. Sed contra hoc infit, & expendo particulam *qualitercunque*. Nam ad illam extensionem generalem de casibus Papæ referuatis sufficeret dicere, *ab omnibus etiam enormibus*: dum ergo additur, *qualitercunque enormibus*, maior ampliatio significata est: ergo sit ad casus Cœnæ, saltè in generali (ut specialitatem hæresis excludam) quia non est alia ampliatio, propter quam illa particula poni potuerit. Et potest confirmari à simili ex glossa in Clem. 1. de Reuidic. verbo *quauis*, quam commendat Panor. mit. 1. p. consil. vlt. n. 5. & ad hanc partem confirmandam videtur adduci ab Emmanuele tom. 1. q. 20. a. 4. vbi licet non loquatur expressè de casibus Cœnæ, dicit tamen illud privilegium extēdi ad casus quomodolibet referuatos Papæ: est ergo hæc extensio satis probabilis. Non tamen videtur illa ponderatio sufficiens, ut vere possimus dicere, in hoc indulto esse expressè comprehensos casus Cœnæ, & ideo quoad hanc partem videri potest reuocatum per Bullam Cœnæ, nisi eam reuocationem impediatur speciale indultum Gregorij Societati concessum, de quo supra c. 21. num. 8. in fine dictum est. Veruntamen etiam absque illo existimo non esse reuocatā illam facultatem, quia illa est sufficiens expressio, præsertim si alia verba eiusdem indulti ponderentur.

VII. Quia verò hæc nostra sententia incerta est, alia via potuerunt hæc persone certius liberari à periculo reincidenti, si nimirum non absoluantur titulo huius privilegij, sed absolute ut seculares per facultatem, quam ibi concedit idem Paulus III. religiosis Societatis ad absolucndum quosunque fideles à quibuscunque censuris, & c. extra Bullam Cœnæ, quod privilegium infra tract. 10. lib. 9. c. 2. declarabimus. Verum est quidem absolutionem sic datam, etiam ante receptionem habitus, esse omnino absolutam, & sine periculo reincidenti; quia non datur titulo religionis, sed sicut dari potest cuiusque seculari. Est tamen magna differentia inter has facultates, & absoluciones: nam hæc, quæ communis est omnibus secularibus, non extenditur ad casus Cœnæ; alia verò, quæ datur titulo religionis, extenditur ad omnes ferè casus Pontificios iuxta ea quæ diximus c. 21. n. 1. & sequentibus. Item est alia differentia, quia facultas pro secularibus solum est ad absolucionem, alia verò extenditur ad dispensationem in aliquibus irregularitatibus.

VIII. Præter hæc autem sunt alia privilegia, per quæ possunt nouitij absolute, & sine vlla conditione absolui à censuris referuatis, ut est illud Eugenij IV. & Celestini V. quod refertur in Compendio Cisterciensis, verb. *Absolutio*. §. 1. vbi datur facultas Generali reformatori regularis obseruantie absolucndi monachos, & nouitios, & postea extenditur etiam ad dispensationem in irregularitatibus, & nulla conditio ad reincidentum apponitur, possuntque per viam communicationis apponi, possuntque per viam per illam tamen semel tantum in vita potest dari hæc absolutio. Dubito verò an illa extendatur ad casus Cœnæ Domini, quia non sit illorum propria, & specifica mentio, sed verba generalia sunt hæc, *Ab omnibus qualitercunque enormibus peccatis*, & infra, *à quibuscunque excommunicationibus*, & c. Verum est particulā illam, *qualitercunque enormibus*, multum augere præ-

Ultimò addo, etiam videri concessam sufficientē facultatem absolucndi nouitios absolute & sine reincidentia per privilegium Benedictinorum, quod sub his ferè verbis refertur in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*. §. 10. *Possunt prælati absolueri omnes, qui in Societate* (seu in tali religione) *proposuerunt perpetuum Deo reddere famulatum, à quibuscunque peccatis, & c.* Expendo enim non dicere *qui promiserunt*, sed *proposuerunt*, & ideo verisimile est extendi ad nouitios, qui eo animo in religione versantur, qui licet postea non perseverent, absoluti manebunt, quia ibi nulla limitatio, nec conditio adiungitur. Intellico tamen necessarium esse, ut illi iam sint aliquo modo in religione, saltem per susceptum habitum, nec sufficere illud propositum, si extra religionem habeatur, quia verba indulti diriguntur ad eos, qui in religione iam sunt.

Dico quartò, privilegia hæc etiam extēdi ad donatos, seu oblatos religioni, ita habetur expressè in privilegio concessio Cisterciensibus ad obseruandū semel in vita, de quo proximè in numer. 8. loquuti sumus, vbi cum monachis, & nouitiis expressè numerantur donati, & commissi, sub quibus vocibus comprehenduntur omnes illi qui conuersi appellantur, licet professi non sint, nec tria vota substantialia emittant, dummodo religioni donati, seu dicati sint cum aliqua firmitate, & obligatione, siue per obedientiam votum, siue per aliud genus promissionis, & pacti: nam omnes hi dicuntur propriè donati, aut oblaci, ut in 5. tom. dixi, explicando canonem *si quis suadente*. Quia verò hæc extensio ad donatos in aliis privilegiis non fit, sed semper est sermo de monachis, fratribus, aut religiosis, ideo assertio hæc non est vniuersaliter intelligenda de omnibus gratis, & facultatibus, quas explicuimus, sed solum de illis, in quibus talium personarū expressa mentio facta fuerit. Nam hi reuera non sunt monachi, nec religiosi, & quamuis interdum late sumpto vocabulo soleant hæc persone nomine

IX. *Plurimum privilegium pro eisdem nouitiis.*

X. *Quarta assertio, pro do-*

*Prima obseruatio pro assertione.*

Secunda ob-  
formatio.

Tertia offer-  
tio.

regularium, aut monachorum comprehendendi, præsertim in dispositione fauorabili, iuxta doctrinam Panorm. & aliorum in rubrica de Regularibus: nihilominus in his privilegiis comprehendendi non debent, nisi exprimantur, tum quia ex communi usu constat hanc esse intentionem Pontificum, & ideo ubi volunt plus concedere, id exprimunt: tum etiam, quia licet privilegia cōtineant fauorem, sunt iuxta proprietatem verborum intelligenda, ubi iura ipsa illa non extendunt. Hoc autem intelligimus de illis conuersis, qui tria vota substantialia non emittunt, nam de illis, qui hæc profitentur, non est dubium quin sub illis privilegiis comprehendantur, etiam si monachorum tantum mentionem faciunt, quia licet monachus interdum strictè dicatur ut distinguitur à conuerso, tamen in generali significatione satis propriè significat quemcūque religiosum fratrem. Aduerto vltius si privilegium vtatur aliis verbis generalibus, quæ in rigore non requirant illa vota, extendi posse ad huiusmodi donatos. Talia videntur esse verba illa supra num. 9. citata ex privilegio Benedictinorum, *Omnes, qui in tali religione proposuerunt perpetuo Deo reddere famulatum*: nam hi donati verè, & propriè dici possunt proposuisse, imo & promississe perpetuo in tali religione Deo reddere famulatum. Idem videtur dicendum de his verbis, *Omnes, qui sub obedientia talis religionis viuunt*: nam hoc etià de his personis in proprietate dicitur, quia vel votum obedientiæ emittunt, vel certè promissionem, aut pactum illi perpetuo seruendi: quod satis est, ut dicantur sub obedientia talis religionis viuere. Semper tamen consulenda sunt alia verba ipsius privilegij, ut ex tenore illius verus sensus colligatur: ad quod etiam multum conferre potest religionis consuetudo.

XI.  
An laici  
seruientes  
gaudent  
etiam ad  
privilegiis.

Sed quid de aliis laicis seruientibus religioni? Respondeo. De his nihil speciale inuenio, quod attinet ad religiones virorum, præter ea, quæ de administratione sacramentorum respectu talium personarum dicam infra, tract. 10. lib. 9. c. 2. tractando de ministerio Societatis erga poenitentes. De seruicibus autem monialium nonnulla tradit Emanuel Rodriguez tom. 1. q. 20. a. 24. quæ in eo videri possunt.

XII.

Vltimò circa hanc absolutionem explicandam superest, quomodo dàda sit. Et in primis quæri potest, an dàda sit solum in foro sacramentali quod iterum occurret tract. 10. lib. 9. cap. 2. n. 24. Et ratio dubij est, quia in his privilegiis sæpè dicitur, ut hæc absolutio detur in foro conscientie tantum. Responderi potest, per hæc verba non significari modum dandi absolutionem, sed effectum eius: quæ duo valde diuersa sunt: potest enim absolutio à censura dari per se, & extra sacramentum Poenitentiae, & nihilominus non habere effectum quoad externum forum, sed solum quoad obligationem in conscientia. Et ita exponunt illa verba moderni Doctores, & reuera in rigore non videntur aliud postulare. Sed difficultatem mihi ingerit quædam declaratio Cardinalium, quam supra retuli n. 4. Nam cum Concil. Trident. sess. 24. c. 6. tribuat Episcopis facultatem absolendi in casibus occultis sed à Apostolica referuatis, & addat illa verba, *In foro conscientie à imposta poenitentia saluari*. Inde colligunt Cardinales, Concilium loqui de absolutione sacramentali in foro conscientie: ergo pari ratione idem dicendum est de quolibet indulto per similia verba concessio. Verum est tamen, illud non affirmari in responsione directâ, quæ in ea declaratione datur, ad dubium directè propositum; sed incidenter in quadam ratione, quæ non semper est efficax, aut necessaria etià in decretis. Nihilominus distinctione vti possumus: nam hæc facultas interdum conceditur solum ad absolendum à peccatis referuatis in fo-

ro conscientie, nulla facta mentione censurarum, & tunc verisimilius est per se concedi potestatem ad absolendum à culpis, à censuris verò consequenter ratione culpæ, & ideo tunc censuras non posse tolli nisi in ipso usu sacramenti, & in ordine ad absolutionem sacramentalem: & in hunc modum loquitur Concilium Trid. illo loco, & in hoc videtur fundata dicta expositio. At verò sæpè conceditur hæc facultas directè ad absolendum à censuris, vel à peccatis, & censuris, & tunc directè conceditur absolutio censurarum, & ideo non limitatur ad sacramentalem absolutionem: quia quando potestas alicui conceditur directè, censetur iuxta modum & naturam suam concedi, & ideo extra Sacramentum exerceri potest, cum per se, & natura sua illud non requirat. Sed quid si indultum dicat, *In foro conscientie, & poenitentiae*? Quidam putant per hæc verba fieri maiorem restrictionem, ita ut facultas sic data etiam directè ad censuras tollendas, restringatur ad forum sacramentale. Dico tamen illa verba vel esse æquiualentia, vel solum addi ad magis explicandum finem & modum huius absolutionis. Quamuis enim censura extra Sacramentum absoluti possit in foro conscientie, nihilominus simul esse debet forum illud aliquo modo poenitentiale, quia absolui non debet nisi qui poenitentiam ostendat, & ad satisfactionem paratus sit, & ideo in huiusmodi indultis addi solet, *Salutari poenitentia, & satisfacta parte*. De quibus particulis quid operentur, & an valor absolutionis ex illarum executione pendat, item, an satisfacta parte, possit hæc absolutio extendi, & valere etiam quoad forum externum, dicemus infra tract. vltimo lib. 9. c. tractando de privilegiis religiosorum Societatis ad absolueudos quoscunque fideles, nam doctrina illa omnibus generalis est. Hæc autem omnia, quæ diximus præcipue pertinent ad absolutionem à censuris à iure latis, in quibus semper comprehendimus latas generaliter ab homine, ut in quinta assert. capit. 20. posuimus, vel quia ex generali consuetudine iam æquiparantur quoad effectum, & quoad absolutionem, vel quia in prædictis indultis exprimitur, ut constat, & statim etiam dicam.

## CAPVT XXV.

An superiores religionum possint per sua privilegia absoluerè subditos etiam à censuris specialibus ab homine.

Dicendum verò superest de excommunicatione ab homine speciali, an per hæc indulta tolli possit. Quidam enim moderni affirmant per hæc privilegia concessum esse absoluerè religiosos à censuralata ab homine in particulari contra talem religiosum. ita Emmanuel dict. q. 20. art. 4. non tamen assert expresse de hoc privilegio, sed nonnulla inducit. Primum est, illud Clementis IV. supra citatum cap. præced. in quo facultas hæc extenditur etiam ad casus Bullæ Cœnæ, paucis exceptis, iuxta aliam declarationem Sixti IV. supra etiam allegatam in cap. 21. num. 1. Vnde sic colligitur, qui concessit maius, concedit etiam & minus, in regula, *Qui iura de regulis iuris*, in 6. ergo qui concedit facultatem à casibus Cœnæ, quæ maior est, cōcedit etiam quicunque censuram ab homine quomodocunque latus. Similis collectio fit ex verbis illis Marci IV. in privilegio Benedictinis concessio, *etiam si talia fuerint, propter quæ esset sed à Apostolica consulenda, vel quæ saluarentur Pontificis referuata consuevit*; item ex illis Eugenij IV. in privilegio Cisterciensibus concessio, *ab omnibus etiam qualitercunque enormibus*. Nam ex his, & similibus verbis potest idem argumentum fieri à cō-